

1790.

*

1. Morinus: Commentatio decr. XXXI ac XXXII. d. q.

1746. Programma, quo ad memoriam recalem dare
ordinarius senior et religioi p[ro]f[ess]o[rum] amatores
invitentur.

2. * Sylvester et Pilatianus, Rudolphus Ferdinandus, P[ro]f[essor]

de: Divinitatis sanctatis studio r[ec]ente sanctissimam
vel optimam praecepta. Programma, quo h[ab]ent p[re]f[er]endos
etiam decani, seniores et religioi amatores m[em]ori-
am R[ec]onstituti[onis] Ferdinandi P[ro]f[essor] de Sylvester et Pilatianus
invitentur.

3. Bauer, Henricus Gottfriedus, p[ro]f[essor] praelector.

21m: Comment. decr. XXXV d. q. 1746. Program-
ma, quo solennia doctoralia Ferdinandi Gottlieb[is]
Becke indicit.

4. Bauer, Henricus Gottfriedus, p[ro]f[essor]. praelector.

Commentatio decr. n[on]r[um] XXXIII, XXXIV et XXXV.
Programma, quo solennitas doctoralia Corilli Christapliori
Kindisi indicit.

1790


5. Beckius, Christianus Daniel: De interpretatione veterum scriptorum et monumentorum ad sensum veritatis pulchritudinem et subtilitatem exercitandum. Acuindamque recte iustificanda. Pragmann, quo cancellariis immorata amplissimi ordinis honorum diem persistoris iuravit.
6. Bienerus, Christianus Gottlob: Specimen hermeneatis cum iuris fundatis ad II F. 26-5 vel. et. II F. 49 nec non I. F. 20. et. II. F. 12. Pragma, quo ad orationem auspicialem iurabit.
7. Bienerus, Christianus Gottlob: Multe lenata ad fragmentum Petri ex libro 3 tij. cap. 38. parv. de rei vindicatione.
8. Bienerus, Christianus Gottlob: Primum luciae hermeneatices iuris fundatis longioribus.
9. Bienerus, Christianus Gottlob: Interpretatio iuris publici atque privati de jure regio uspiendi Indiacos Indios magique in Sarmia Electori jurius et obligacionibus.
10. Fleck, Ferdinandus Gottlieb: De discriminatione inter multitudinem et commendationem libelli, jure Romano et Saxonico.

1790

11. Greenius, Augustus Toscana legis mandas, pr. pro. pr.
concilium : De obligacione domini juris dictioris
ad presulanda facta actuaria. Programma, quo solen-
tia inauguralia Iusti Christiani Gengis inducuntur.
12. Habsdulus, Christ. Gall. : De labore incerto.
13. Kind, Carolus Christopherus : De tabula feodali
in primis electoris Sachsen.
14. Pfeffmannus, Iustinus Lippriensis Rhenanus : Selecta e jure
varis capta.
15. Ran, Christopherus : De postu heretibus institutis
dis vel enheretandis ad U. 2881. et 29. I. 1. Genuis
et postu heret. Ipu. I.
16. Richterus, Christ. Gall. : Specimen observationum
de contributis Palatinis Franciae et Germaniae.
17. Richterus, Christ. Gall. : Specimen animalium novorum
de somptibus juris Alpes ad Tr. Alberti Fabricii
Bibliothecam Graecam.
18. Raetig, Carolus Gallus : De commercio inter-
no et externo.

1790.

19. Prediger, Christianus Tistorius: Analysis trigonometrica
commoda atque faciliis problematis estros
ni ci data ascensione recta et declinatione
cognitis stellae, longitudinem et latitudinem
eque missim determinare.



1790, 7

MELETEMATA

A D

FRAGMENTVM CELSI EX LIBRO III. DIGESTORVM
CAP. XXXVIII. PANDECTARVM DE REI
VINDICATIONE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTTLLOB BIENERO

IVR. NAT. ET GENT. PR. PVBL. ORD.

A. D. XXIX. MARTII C^o 1790 LXXX.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

G^VILHELMVS NAVMANNV^S
FRIBERGENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA KINDELIA.



MELETIUMA

THEATRUS ILLUSTRIS ET PRACTICUS
IN SEQUITUR LIBERUS ET LIBERTATIBUS
MAGISTRI ET DOCTORIS

THEATRUS ILLUSTRIS ET PRACTICUS
D. CHRISTIANI GOTTLIEB DENECKE

D. CHRISTIANI GOTTLIEB DENECKE

AD EDITIONEM TERTIAM

QUINTA MALLEA ET QUINTA

VIRO
EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO ARTIS
SALVTARIS DOCTORI
MERENTISSIMO
GEORGIO GVILIELMO
LIEBE

DYNASTAE IN KLINGENBERG REL. AVVNCVLO
ET FAVTORI

OPTIMO
HAS STVDIORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS
OMNI QVA PAR EST PIETATE AC REVERENTIA
D. D. D.

NOMINI TVO
ADDICTISSIMVS

GVILIELMVS NAVMANN.



A 140

EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

SACRA LIBRARIA SCOTIENSIS

MURINUS LIBRARIUS

GEORGIO GALLIEI FMO
LIBRE

EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

SCOTIENSIS LIBRARIA

OMNIBUS

EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

SCOTIENSIS LIBRARIA

EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

SCOTIENSIS LIBRARIA

EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

SCOTIENSIS LIBRARIA


EX LIBRIS UNIVERSITATIS MONSTRUMENSIS ALTHI

§. I.

*Fragmentum Celsi ex libro III. Digestorum, cap. 38. ff.
de rei vindicatione.*

Quae viros doctos excitare solent legum ambiguitates et difficultates, ut magno ausu ad vnam alteramue legem inde a resuscitato iurisprudentiae civilis studio frustra adhuc tentatam, et ad cimmerias veluti tenebras damnatam inque crucibus interpretum et consultorum iuris repositam, vindicandam, explicandam, manifestandam, accingantur, me in arte iuris adhuc tironem nec satis exercitatum, non impulerunt, ut istud fragmentum Celsi interpretandum et illustrandum mihi sumerem, sed humanitas viri, quae inde elucet, aquitas legis, quae non potest non cuius placere, usque in decisionibus rerum causarumque conspicuus mihi perplacuerunt, effeceruntque, ut scholis illustrationibusque dignum habereim. Commoditati legentium consulturus verba fragmenti secundum lectionem Florentinam addere iuuabit. CELSVS libro III. Digestorum ait:

*In fundo alieno, quem imprudens emeras, aedificasti
aut conseruisti, deinde evincitur, bonus iudex varie ex
personis causisque constituet. Finge et dominum eadem
facturum fuisse, reddat impensam, ut fundum accipiat,
usque eo duntaxat, quo pretiosior factus est. Finge pau-
perem, qui, si reddere id cogatur, laribus sepulchris auitis
carendum habeat, sufficit tibi permitiri tollere ex his rebus,
quae possis; dum ita, ne deterior sit fundus, quam si initio*



non foret aedificatum. Constituimus vero, vt si paratus est dominus tantum dare, quantum habiturus est possessio, his rebus ablatis, fiat ei potestas: neque malitiis indulgendum est, si techorium, puta, quod induxeris picturasque corraderet velis, nimirum latus, nisi ut officias. Finge eam personam esse domini, quae receptum fundum mox venditura sit; nisi reddit, quantum prima parte reddi oportere diximus, eo deducto, tu condemnandus es.

Hic igitur est fundus, quem excolere constituimus, qui quamuis ab HERALDO ¹⁾ aliisque leuiter taetas, ab ANTONIO FABRO ²⁾ GERHARDO NOOTIO ³⁾, vt ne plures memorem, breui explicatus, mihi tamen specimini academico plane accommodatus, et commentariolo dignus videtur. Ipse quidem textus in nonnullis locis propter antiquitatis incertum codicum collatione firmari verborumque interpretatione adiuuari posset, sed quia in hoc genere CHARONDAS ⁴⁾, GEBAUERUS ⁵⁾ aliquie corporis Digestorum editores elaborarunt, variasque electiones magno agmine coegerunt, nec textus in vlo loco ita turbatus est, vt stare aut retineri nequeat, nolo equidem huic rei operam impendere, sed placet BASILICVM ⁶⁾ addere, quo omnes fere tenebrae, ambiguitates et dubitationes, quae in textum aut antiquitate temporis aut librariorum imperitia et arte irrepserunt, dispelli possunt. Versio autem haec est:

'Edv'

1) *De rer. iudicat. auctoritate cap. XXII. §. XII.*

2) *Rational. in Pandectas tit. de rei vindicatione.*

3) *Comment. ad Pandectas T. II. Opp. p. 200.*

4) *In Digestis seu Pandectarum libris (Antwerpiae 1575. fol.) p. 87.*

5) *Corp. Iur. Civ. edit. Spangenberg. p. 127.*

6) *T. II. p. 206. cap. 38. tit. de rei vind.*

Εάν ἀγοράσται παλῆ πίσι οὐλότριον ἀγρον, γεωργήσω ἢ πτίσω ἐν
ἀντῷ, εἰ μὲν ἡμελλειν ὁ δεσπότης τὰ ἀντὰ ποιεῖν, διδωσιν ὅσον γέγονε
τιμιότροφος. Εἰ δὲ πλέον τῆς δαπάνης ὀφέλισσα, μόνη τὰ δαπανηθέντα
διδωσιν. Εἰ δὲ πένης ἔσιν, ἐφείται μοι περιελένιν ἐν τῷ γενουμένῳ ὅσα δύνα-
μαι αἴσῃ μέντοι μὴ γίνεσθαι χείρουν τὸν ἄγρον, ἐν ᾧ ἔξι σφρήνῃ. Εἰ μὴ
ἔτοιμός ἔσιν ὁ δεσπότης δῆγοι μοι, ὅσον μέλλω σχεῖν ἐπὶ τῶν περιπα-
τεριῶν, ὃ γάρ ἀνόμιαν κακοθελῶ ἀποδέσσαι τὰς γραφάς θέλων διὰ
τὸ πρός ἀντὸν μέσον. Εἰ μέν τοι μέλλει πιπρόσσουν τὸν ἄγρον, εἰ δαπάναι
πρὸς τὸ ἀνωτέρῳ λεζθὲν λογίζονται.

FABROTTVS hunc locum ita vertit, quam versionem ad-
dere haud alienum ab hoc loco iudico:

*Si alienum fundum, quem bona fide emi, excoluero, vel in co-
aedicavero, siquidem dominus eadem facturus fuisset, reddit quia-
tenus priorior fatus est, si vero virilis superet impensam, so-
lum quod impensum est, reddit. Quod si pauper sit, permititur
mibi tollere ex his, quae facta sunt, quaecunque possim, sic ta-
men, ut fundus deterior non fiat, quem ab initio fuerit, nisi si
paratus est dominus tantum mibi dare, quantum habiturus sim
ex rebus ablatis, nec enim audiri debeo, si odio domini maligne
velim picturas carradere. Si tamen fundum venditurus sit, im-
pensa secundum id, quod supra dictum est, reputantur.*

§. II.

Observatio de Celso filio, auctore fragmenti allati, veritatis et aequitatis studio.

Duos in iure celebrari Cellos, patrem et filium, inter
omnes testatum est, filium autem nostri fragmenti esse aucto-
rem ex indice Florentino apud WIELINGIVM¹⁾ GRONOVIVM²⁾

GERAVE-

1) Iurisp. restituta p. LVIII.

2) Historia Pandectarum austentica — edit. Conradi Halae 1730. 8.



GEBÄVERVM ³⁾ Celsi libros nouem et triginta Digestorum reſente, aliisque testimoniiſ intelligitur, quanti autem aesti-
matum fuerit hoc opus apud veteres, hoc argumento eſt, quod
ex omnibus libris, ſi a trigesimo primo reſeris, in Pandecten
noſtrum migrarunt fragmenta, quae jam **ANTONIVS AVGV-
STINVS** ⁴⁾ iuriſprudentiae elegantioris cum Alciato Italo,
Haloandro Saxone, Cujacio Gallo, restaurator, **LABITTVS** ⁵⁾
attentus Cujacii auditor, **EERLINVS** ⁶⁾ diligens harum rerum
ſcrutator, **HOMMELIVS** ⁷⁾ iuriſprudentiae ſolidioris cultor et
ſtator excitarunt. Vitam Celsi filii non enarrabo, nam praeter
STRAVCHIVM, ⁸⁾ breui eam complexus eſt **HENELIVS** ⁹⁾ **RVTI-
LIVS** ¹⁰⁾ **BERTRANDVS** ¹¹⁾ **GROTIUS**, ¹²⁾ **RUPERTVS** ¹³⁾, vt quae
MAIANSIVS ¹⁴⁾ in Celſo patre dixit, taceam, quorum omnium
induſtriam longe tamen ſuperauit **HEINECCIVS** ¹⁵⁾, quamuis ne-
mo adhuc in iphis fragmentis interpretandis operam poſuerit, nec
rationes Digestorum a Celſo noſtrate aliisque veteribus, Alfeno
Varo

3) *Corp. Iur. Ciuitatis.*

4) *De nominibus propriis τε πανδεκτά Florentini apud OTTONEM Theſ.
Iur. T. I. p. 40.*

5) *apud WIELINGIVM c. l p. 20. seqq.*

6) *Explicat. tituli Digestorum de Or. Iur. c. 48. p. 390. seqq.*

7) *Palingenesia librorum iuris veterum T. I. p. 147.*

8) *In vitis veterum ICtorum p. 12.*

9) *Comment. de veteribus ICtis c. VII. p. 45. seqq.*

10) *In vitis ICtorum c. 58. apud FRANCKIVM in vitis tripartitis vere-
rum ICtorum p. 173.*

11) *De iuris peritis lib. I. cap. 10. apud FRANCKIVM c. l. p. 81.*

12) *in vitis ICtorum lib. II. c. III. §. 9. seqq. apud FRANCKIVM p. 110.*

13) *in Enchiridion Pomponii libro III. c. XIII. apud UHLIVM opusc.
p. 210.*

14) *in commentariis ad fragmenta XXX. ICtorum T. II. p. 226.*

15) *De P. Iusentio Celſo Iurisconsulto eximio faique ſeculi ornamen-
to in ſyll. opusc. varior. Ex. XII. p. 503.*

= = = = =

Varo, Iuliano, Pomponio, Marcello, Cervidio Scaevola, Aelio
Marciano, editorum generatim expendam, aut enarrabo, quid
Celsus libris Digestorum tradiderit.¹⁶⁾ Sed vnum, quod ad no-
strum locum pertinet, tacitus praeterire non possum. Etenim
recte praeceperunt viri docti, OCKELIUS,¹⁷⁾ HOVCKIUS¹⁸⁾ alii,
in fragmentis veterum Iureconsultorum et legum latorum ex-
plicandis, animum in primis ingeniumque scriptoris inspici
oportere, ut cognoscatur, aequum an sumnum ius sit secutus.
In nostro quidem Celso duo animaduertisse sibi visus est GRO-
TIUS¹⁹⁾ vnum, quod in omnibus suis scriptis aequitatis obser-
vantissimus, alterum quod in deridendis aliorum opinionibus
multus et natura sarcasticus fuerit. Sarcastum equidem in-
fragmentis Celci reperi non commemini, veritatis amans et
studiosus contra ubique appetet, ut desertis scholae suae op-
inionibus ad contrariam scholam transire²⁰⁾ atque adeo a pa-
tre,²¹⁾ modeste tamen, vti filium pium decet,²²⁾ dissentire non
vereatur. Aequitatis autem fuisse studiofissimum, consentiunt
omnes,

16) HEINECCIUS c. l. p. 517. breui id retulit atque in *Commentario ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam* p. 51. (edit. Lips.) septem li-
bris leges complexum fuisse recte obseruauit.

17) *Diss. iurid. Ictus rationalis suis de rationibus decidendi veterum Ictorum Romanorum* cap. III. Th. IX. p. 68.


18) *Diss. de rationibus veterum Ictorum falso suspectis* §. VI. apud OELRICHSIVM Theb. *Diss. Belg.* vol. I. p. 350.

19) *In vita Celci filii* c. l. p. 41.

20) Labonis, in cuius schola nutritus fuerat Celsus, sententiam l. 10.
§. 1. ff. de negot. gest. l. 25. ff. de furt. deferit, a Nerva dissentit
l. 29. ff. de ciuit. Sabinum sequitur l. 65. §. 3. ff. de legatis III. l. 6. ff.
de condicione ob turpem causam et cum Cassio sentit l. 1. ff. de flum.
MASCOVIUS de scitis p. 71. quaedam ad hunc locum obseruauit.

21) l. 3. et. 7. ff. de condic. causa data quem locum MALANSIUS c. l.
T. II. p. 238. interpretatur.

22) VLFIANVS ait naturali aequitate motum a patre dissentire.



omnes, ideoque referente VLPIANO²³⁾ ius esse artem boni et aequi definiuit, et regulam iuris veteribus iam laudatam refert PAVLLVS: *in quaestionsbus, quae sunt de bono et aequo, plerumque sub auctoritate iuris scientiae perniciose erratur.*²⁴⁾ Maximum autem humanitatis argumentum pro Cefso nostro praebet hoc ipsum quod tractamus fragmentum, qua tamen laude aequitati aliorum iureconfultorum nihil delibatum cupio. Vtramque enim scholam Sabinianam et Proculelianam praecipuam simul aequitatis habuisse rationem, ego certe persuasissimus sum, ut ne commemorem Seruum Sulpitium, Aquilum Gallum, qui iam ante istas iureconfultorum altercantum familias a iuris civilis rationibus aequitatem seiungi oportere negarunt.

§. III.

Exegesis fragmenti supra relati.

Magnam saepe utilitatem in explicandis veterum fragmentis textus συναρπαγῶν adferre, me non fugit, sed in nostrum locum nihil inde luminis remittitur,¹⁾ ex ipsa potius lege et praecedente VLPIANI loco²⁾ de restitutione impeniarum a bonae fidei possessoire in rem alienam utiliter erogatarum praecipi intelligitur.³⁾ CELSVS ait: IN FVNDO ALIENO QVEM IMPRDENS
EMERAS,


23) *l. 1. pr. ff. de iniustitia et iure.*

24) *l. 31. §. 1. ff. de verb. obl. add. DVARENVS in commentariis ad hunc locum et reliqui ICti omnes, qui hunc titulum explicarunt. HENELIVS c. l. quaedam etiam bene obseruat.*

1) Ex libro Digestorum Celsi III. in Pandectis refertur *l. 17. de off. praef. l. 12. de trans. l. vlt. de condic. causa data — l. 39. de re iudicata l. 51. de obl. et aet. l. 26. de novat.*

2) cf. de hoc interpretandi subsidio HYFELANDI V. CL. diff. de legum in Pandectis interpretandarum subsidio ex earum nexu et consecutione petendo Ienae 1785.

3) Praeter alios, qui de impenis dixerunt HERALDV M nomine de rer. iud. auct. c. XXII. et. XXIII.



EMERAS, alienum fundum eum intelligere debemus, qui venditoris non erat, nec cuius vendendi facultatem habebat ⁴⁾ emptionis autem meminit, non ut hoc uno titulo adquirendi applicatio contineatur, sed ad omnem rei alienae acquisitionem bona fide et iusto titulo suffultam producatur; AEDIFICASTI AVT CONSERVISTI, utrumque satis manifestum est, modo memineris impensam in reparandas aedes sationemque fructuum quae renderorum causa non intelligi, sed aedificationem insularum in area alieni fundi aediumue igne absuntarum refectionem, plantationem arbusti, vineti, siluae, oliueti, quibus et melior et fructuosior redditus fundus; DEINDE EVINCITVR, post impensam, quae verba in Basilicis omissa fuerunt; BONVS IVDEX VARIO EX PERSONIS CAVSIS QVE STATVET, emtore euictionem passo impensarum restitutionem vna regula definiri non posse iudicat Celsus, sed bonus iudex id est, arbiter in causa bonae fidei datus, ex personis non possessorum, sed actorum cauissime et rationibus cur petitior minoris condemnari velit, varie statuet, prout sequitur. FINGE ET DOMINVM EADEM FACTVRM ESSE in aedificando et conserendo, vti bonum patrem familias in fundo, meliorationis capace, decet, praesertim si locuples sit, vt erogationem facere possit, REDDAT IMPENSAM VT FVNDVM RECIPIAT, itaque in impensas a reo erogatas demandans est petitior, nec possessor, nisi redditis impensis ad restituendum tenetur ⁵⁾ VSQVE EO DVNTAXAT, QVO PRETIOSIOR FACTVS EST, quibus significatur petitorem in id condemnari, quod tempore rei iudicatae, fundus melior, fructuosior, charior ex hac ipsa impensa est, posthabita erogationis summa, ET SI PLVS PRETIO FVNDI ACCESSIT, SOLVM QVOD IMPENSVM EST ⁶⁾ vt puta, si quis hortum, vineam, siluam, oli-

B 2

vetum


4) L. 110. ff. de v. sign.

5) HERALDV C. I. cap. XXIII.

6) HALOANDER haec verba in quibusdam exemplaribus deesse notat, idque etiam editores quidam Itali, sed post Haloandrum, obseruant, at enim praeter codices a Gehauero allegatos, quibus haec verba leguntur, fides Basilicorum hanc sanctionem maximi momenti ab omnibus criticorum iniuriis vindicat.



vetum plantauerit, molam aedificauerit, equitium instituerit,
 eiusque rei ergo centum aut mille solidos expenderit, vinea
 autem et reliqua pluris aestimentur, quam impensa fuerat, in
 impensam quidem petitor, sed non in reliquam aestimationem
 condemnabitur, quippe hoc incrementum non ex facto posses-
 soris prouenit, ideoque aequum est, vt domino prosit. Haec
 igitur est regula, sed bonus iudex varie statuet. FINGE PA-
 PEREM, QVI, SI REDDERE ID COGATVR, LARIEVS, SEPVLCHRIS
 AVITIS CARENDVM HABEAT, possessor enim exceptione opposi-
 ta retinet fundum, quo compellitur actor, vt aut reo aut tertio
 vendat fundum, sed humanum Celsi sermonem penita, non
 fundum dicendo, quo carere cogatur petitor, sed lares, sed
 sepulchra auita, Romanis maximi semper habita, vt vices acto-
 ris dolere simulque rationem mitioris et benignioris decisionis
 promere videatur. Etenim SVFFICIT TIBI PERMITTI TOL-
 LERE EX HIS REBUS, QVAE POSSIS, DVM ITA, NE DETERIOR
 SIT FVNDVS, QVAM SI INITIO NON FORET AEDIFICA FVM,
 hac igitur decisione efficitur semper vt ne petitor fundo suo
 carere cogatur, idque simul lucretur, quod sine detrimento rei
 auferri nequit, ideoque si possessor destruatis aedibus nondum
 ruinosis, artis vtilitatue causa nouas extruxerit, omnem im-
 pensam perdet; sed aequitate suadente longius progreditur
 Celsus, ait: CONSTITVIMVS VERO, VT SI PARATVS EST DO-
 MINVS TANTVM DARE QVANTVM HABITVRVS EST POSSESSOR,
 HIS REBUS ABLATIS, FIAT EI POTES TAS, hac ratione adiuuat
 actor, vt pro viliore pretio rem et accessiones redimere va-
 leat, nec tamen compellatur, si forte eius non inter sit aut res
 detraetiae tanti sint, quanti emere nolit actor, sed vltior fit
 progressio; NEQVE MALITIIS INDVLGENDVM EST, SI TECTO-
 RIVM PVTA, QVOD INDVXERIS, PICTVRASQVE CORRADERE
 VELIS, NIHIL LATVRVS, NISI VT OFFICIAS, hic tertius et
 summus est aequitatis gradus, hanc enim impensam possessor
 plane perdit, vt petitori pro sit, in volvutuariis quidem impen-
 sis ius hoc commune est, sed in nostro loco vtrumque genus
 comprehensum puto, etenim tectorium cum picturis indicat
 vtilem



utilem impensam, qua et pretium rei et fructus in locando aug-
teatur; 7) eadem decisionem etiam in plantatione applicari in-
terdum et posse et debere puto, sed quia haec omnia statuuntur,
vt ne pauper lariibus et sepulchris auitis carendum habeat, ex-
ceptio additur: FINGE EAM PERSONAM ESSE DOMINI, QVAE
RECEPTVM FVNDVM MOX VENDITURA SIT, NISI REDDIT,
QVANTVM PRIMA PARTE REDDI OPORTERE DIXIMVS, EO DE-
DVCTO TV CONDEMNANDVS ES, ne actor damno rei locuple-
tior fiat 8) atque sic vere dixit Celsus bonum iudicem varie sta-
tuturum.

§. IV.

*Repetitio principiorum fragmento proposito comprehensorum
cum applicatione ad rem dotalem.*

In iudiciis bonae fidei quaeri solet, quid alterum alteri
praestare oporteat, quo genere etiam continetur impensarum
in rem alienam factarum restitutio. Triplex esse impensarum
genus, necessarias, quae si factae non fuissent, res aut peritura
aut deterior futura sit, veluti si quis ruinosas aedes refecerit,
flumina auerterit, emortuum gregem reparauerit, utiles, qui-
bus non factis res deterior futura non sit, factis autem melior
et fructuosior reddatur, veluti si quis vineta aut oliueta fecerit,
aut nouellatum in fundo instituerit, aut si in domo pistrinum
tabernamue adiecerit, voluptuarias, quae speciem duntaxat ex-
ornant, non etiam fructum augent, vt sunt viridaria et aquae
salientes, incrustationes, lorications, picturae, ex veteribus
iuris interpretibus satis constat¹⁾. Celsus in proposita lege im-

B 3

pen-

7) ALCIATVS comment. in tit. de V. S. Opp. T. II. p. 957. de incrustationibus ac picturis quaedam ex legibus obseruauit MAIANSIVS in fragm. XXX. Ictorum T. II. p. 127.

8) L. 38. ff. de hered. petitione.

1) L. 79. ff. de V. S. L. 1. ff. de impensis in res dotalis factis, illum locum
GOEDDAEV, hunc MAIANSIVS diff. de impensis in rem dotalem fa-
git T. I Diff. num. XXVIII. p. 425. interpretatur.



pensarum necessariarum rationem non habuit, ideoque ius commune in omni petitore, locuplete et paupere, seruabitur, de utilibus autem tractat, regulamque proponit: in rei vindicatione viles impensas secundum aestimationem reddi oportere, nisi aestimatio superet impensam, quo casu actor in solam impensam condemnabitur. Aequum enim est, ut quod non facto possessoris, sed aut beneficio naturae aut rerum temporumque adiunctis aestimationem fundi auget, domino profit. Hanc autem esse iuris communis regulam etiam PAVLLVS, ²⁾ PAPINIANVS ³⁾, aliqui statuunt, ea tamen limitatione, ut ne inuitus condemnetur actor, sed reo rem tollere possit permittere ⁴⁾. Idem igitur in paupere sequendum erat, sed eius conditionem esse meliorem iam supra vidimus. Eadem iura in fundo dotali valere IAVOLENVS ⁵⁾ ait, quod et DVARENVS ⁶⁾ et MAIANSIVS ⁷⁾ pluribus exposuerunt, ut adeo soluto matrimonio, si pati malitvxor petitorem tollere aedificia areae suae imposta, non teneatur ⁸⁾ nisi quod impensae necessariae dotem ipso iure minuant, ⁹⁾ utilium nomine possessor tantummodo exactionem habeat, nec dotem retinere valeat ¹⁰⁾. Quod si vero coniux pauper aestimationem soluere non possit, ne dote carere compellatur, eodem, quo pauper in fundo suo repetendo gaudet iure, PAVLLVS ait: *utilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, si voluntate mulieris factae sint, iniquum enim esse compelli mulierem rem ven-*

2) l. 27. §. 5. ff. de rei vind. l. 29. §. 2. ff. de Pignoribus.

3) l. 48. ff. c. l.

4) l. 27. et 37. ff. c. l.

5) l. 18. ff. de fundo dotali.

6) in comment. ad l. 7. ff. soluto matrimonio.

7) Disp. cit.

8) l. 27. §. 2. ff. de rei vind.

9) MAIANSIVS explicat, quid sit; impensas necessarias dotem minuere eandemque rem tractauit BESSIVS concili: ex iure civil. c. I.

10) l. 7. ff. de impensis in rem dotaalem factis.

vendere, ut impensas in eam factas solueret, si aliunde soluere non potest, quod summam habet aequitatis rationem¹¹⁾. Duo casus, quos IUSTINIANVS¹²⁾ etiam discernit, distingui debent, etenim si impensae sciente et mandante vxore factae sunt, indistincte restituui debent, quamuis re sua carere debeat vxor, sed si inficia aut inuita uxore utiliter aliquid impensum fuit, vxor locuples tenetur quidem, sed egena iuribus ex Celso allatis gaudet, ut ne carere debeat dote sua. Eandem distinctionem in alio PAULI loco¹³⁾ sequendam puto, nec PAPINIANI decisio¹⁴⁾ aut SCAEVOLAE responsum¹⁵⁾ hos circulos turbabit.

Haec igitur ad explicandum istud fragmentum Celsi sufficiere puto, quae enim ornatius et voluptatis caussa impenduntur, ad nostrum locum non spectant, regulas a Celso constitutas adhuc valere, vsumque praebere in decisionibus caussarum, nihil dubitationis habet, sed an pauper, qui praedium suum vindicat, iure isto vtatur, quaeri potest, lares enim et se-pulchra auita in praediis non habemus, quibus rationibus superstitutioni gentis omnino aliquid indultum fuit, sed remanet tamen aequitas, quae in proposita specie maximi momenti est ideoque eadem in ciuitatibus nostris decisionem adhiberi et posse et debere statuo; sed quatenus haec principia ad impensas in rem feudalem erogatas, fundo ad agnatos et dominum deuoluto, applicari possint? hoc loco tractare instituti nostri ratio non permittit.

VI-


11) L. 8. ff. c. L.

12) L. un. §. 5. C. de rei vxoriae actione.

13) L. 29. §. 1. ff. de V. S.

14) L. 42. §. 2. ff. Solutio matrimonio. DVARENVS b. L. recte monuit, hanc decisionem pertinere ad casum opinati matrimonii, quod eriam GARSIAS et meliorationibus cap. XIII. num. 58. p. 405. sequitur.

15) L. 39. §. 1. ff. de minoribus, qua de restitutione in integrum contra emtorem praedii tractatur, curatoribus minoris fundum vendentibus adhuc idoneis constitutis.



V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQUE LITTERATISSIMO
GVILIELMO NAVMANNO

S. D. P.

D. CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENERVS

Cum mihi animum edendi aliquod iurisprudentiae specimen significares, ut et periculum faceres virium tuarum et patronis fautoribusque aliquam studiorum redderes rationem; non potuit non honestissimum desiderium TVVM mihi placere ideoque non adiuuandos solum existimauit conatus laudabiles, sed auctor etiam suasorque fui, ut, vniuerso iurisprudentiae itinere cursusque nondum emenso, materiam aliquam iuris ciuilis coledam et proponendam TIBI sumeres, tam quia hoc ius a tot seculis summorum virorum industria excultum in aprico fere est positum, quam in primis, quia ex iure Romano prima institutionis initia repetere et promere solemus. TIBI autem TVISque studiis adcommodatissimum putaui, si in capite aliquo Digestorum interpretando versareris, quod cum et TIBI probaretur, selegimus fragmentum aliquod Celsi, in quo explicando et ingenium scientiamque demonstrares et artem simul interpretandi exerceres. Itaque gratulor TIBI, Vir Humanissime! hoc iuris ciuilis atque ingenii diligentiaeque speciem, sperans atque confidens TE, si viam, quam ingressus es, porro iueris, non artem solum scientiamque iuris plene perceptum, inque ipsa iurisprudentiae adyta penetraturum, sed rei etiam publicae aliquando profuturum. Quae quidem, ut omnia eueniant, praemissque, quibus virtus, diligentia et doctrina exornari solet, finitis studiis mox potiaris et diutissime fruaris, ex animo precor. Vale, Vir Humanissime! meque amicitia TVA in futurum etiam amplectere!

Dedi Lipsiae A. D. XX. Martii c^{lo} 1^{cc} LXXX.





B.I.G.



1790,7

MELETEMATA

A D

FRAGMENTVM CELSI EX LIERO III. DIGESTORVM
CAP. XXXVIII. PANDECTARVM DE REI
VINDICATIONE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTTLÖB BIENERO

IVR. NAT. ET GENT. PR. PVBL. ORD.

A. D. XXIX. MARTII C^o 1500 LXXXX.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

G^VILHELMVS NAVMANNVS
FRIBERGENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA KINDELIA.

